



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilium Mosomense, In Qvo Sedes Rhemensis Artaldo iterum
adiudicata, Hugoni communio vsque ad generalem Synodus interdicta
est, mense Ianuario celebratum anno DCCCCXLVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO CHRISTI
947. taldo conceditur. Hugo autem præful in Mosomo com-
morari permittitur. *Et post alia*: Synodus prædicta Vir-
duni habita est, præsidente Rotberto Treuerensi præfule,
cum Artaldo Rhemensi, Odolrico Aquensi, Adelberone
Metensi, Goslino Tullensi, Hildebaldo Transrhenensi
Mimegardovvrdensi, Israele Brittone, præsente Brunone
abbate fratre regis Ottonis, Agenoldo quoque, & Odilo-
ne, cum aliis quibusdam venerandis abbatibus. Ad quam
Hugo episcopus euocatus, missis etiam duobus ad eum
deducendum episcopis Adalberone & Goslino, venire
noluit. Vniuersa vero Synodus domno Artaldo Rhemen-
si tenendum adiudicauit episcopium. Indicitur iterum
Synodus Idibus Ianuarii habenda.

ANNO CHRISTI
948. **CONCILIVM MOSOMENSE,**
IN QVO SEDES RHEMENSIS ARTALDO
iterum adiudicata, Hugoni communio usque ad gene-
ralem Synodum interdicta est, mense Ianuario celebra-
tum anno DCCCCXLVIII.

FLODOARDVS *idem in chronico.* Anno, *inquit*, DCCCCXLVIII.
Synodus prædicta celebratur in ecclesia sancti Petri,
ante prospectum castrorum Mosomi, a domino Rotberto cete-
risque Treuerensis diœcenses episcopis, & aliquibus Rhe-
mensis. Veniens autem illuc Hugo præful, & locutus cum
Rotberto, Synodum noluit ingredi: literas vero quasdam
ex nomine Agapiti papæ misit ad episcopos per clericum
suum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis canonicae
continentes, hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Rhe-
mensi redderetur episcopium. Quibus lectis, ineuntes epi-
scopi consilium cum abbatibus & ceteris sapientibus qui
aderant, responderunt non esse dignum vel congruum,
ut mandatum legationis apostolicæ, quam dudum Rot-
bertus archiepiscopus, deferente Friderico præfule Mo-
guntiacensi, coram regibus & episcopis tam Galliarum quam
Germaniarum susceperebat, & partem iam præceptionis ipsius
exegerat, propter illas literas intermitteret, quas infida-
tor Artaldi præfulis exhibebat: imo quod regulariter co-
ptum fuerat, canonice pertractaretur. Sicque præceptum

est, ut recitaretur capitulum xix. Carthaginensis Concili de accusato & accusatore. Quo recitato, iudicatum est secundum definitionem ipsius capituli, ut Artaldo præsule retinente communionem & parochiam Rhemensem, Hugo, qui ad duas Synodos euocatus venire contempserat, a communione & regimine Rhemensis episcopii abstineret, donec ad vniuersalem Synodum, quæ indicebatur Kalendis Augusti, se purgatus occurreret. Ipsumque capitulum mox in charta describi fecerunt episcopi coram se, subiectentes hanc etiam definitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eamdem chartam Rotberto præfuli remisit, hoc verbis remandans, quod ipsorum iudicio nequaquam obediturus esset.

CONCILIVM ENGILENHEIMENSE,

IN QVO ARTALDO SEDES RHEMENSIS
restituta, Hugo comes Ludouico regi perduellis excommunicatus est, præsidente Marino sedis apostolicae legato celebratum indictione vi. septimo Idus Iunias, anno Christi DCCCCXLVIII. Agapeti II. papæ anno II. Ludouici eiusdem transmarini regis, qui Concilio aderat, anno XIII.

TITVL CANONVM.

- I. Hugo comes, qui Ludouici regnū infestabat, excommunicatus.
- II. Artaldo sedes Rhemensis restituta: Hugoni, qui eam usurpabat, anathema dictum.
- III. Hugo idem comes ob episcopum Laudunensem sede sua electum excommunicatus.
- IV. Ut laici sine licentia episcopi ecclesiæ non dent, nec auferant.
- V. Ut laici presbyteros non ve-
- xent.
- VI. Quot diebus feriandum sit in pascha & pentecoste.
- VII. Ut in litania maiore ieunetur.
- VIII. Ut oblationes altaris a laicis non attingantur.
- IX. Ut decimarum cause non apud seculares, sed in Synodo discutiantur.
- X. De incestis nuptiis.

P RÆ F A T I O.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini DCCCCXLVIII. indictione vi. vii. Idus Junias,